



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1525. usque ad annum 1529

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118480**

§. 61. Depressa Episcoporum auctoritas.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66472](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66472)

§. LX.

Sæc. XVI.  
A.C. 1527.

*Religionis mutatio in Suecia.*

In Suecia Gustavus Rex novis Lutheri *Luccenius l. 6 rer. Suev.*  
 opinionibus delusus, totus in eo erat, *Joa. Magn. hist. Suec. l. 24.*  
 ut suos quoque subditos eidem, in *Flor. Raym. l. c. l. 4. c. 15.*  
 quam prior se præcipitem egit, ruinæ  
 involveret. Unde Olai Petri, qui Lu-  
 theri affecta erat, suggestionibus stimu-  
 latus, Episcopos in fide constantes e  
 Regno expulit, ex tribus duas decima-  
 rum partes ad alendum exercitum Ec-  
 clesiis abstulit, atque argentea templo-  
 rum vasa ad solvendum æs alienum,  
 quo Regnum gravabatur, impendit.  
 Præterea Episcopos vi compulit, ut ei  
 arces Ecclesiæ proprias cederent, No-  
 bilibus vero concessit, ut bona, quæ Ma-  
 jores eorum oppignoraverant, ab Ec-  
 clesiasticis soluto pignoris pretio repe-  
 tere possent; hanc legem Episcopi, pau-  
 cissimis exceptis, ipsimet consensu sua  
 firmabant.

§. LXI.

*Depressa Episcoporum auctoritas.*

Cum vero Cleri ac præcipue Præsu-  
 lum, insuperhabitis hisce vexatio-  
 nibus, ingens adhuc esset auctoritas,  
 Rex eos, ut impiis ejusmodi consiliis



Sæcul. XVI. A.C. 1527. resistendo impares essent, magis magisque deprimere constituit. Hunc in finem Ordinum comitia Arosiæ celebranda indixit, ac convenientibus cunctis Regni Proceribus, lautissimum adornavit convivium, sedium vero ordinem ita immutavit, ut a Rege proximi sederent Senatores, regnique Proceres, ac demum hos sequerentur Episcopi, Equites, tandemque Sacerdotes, ac Cives, licet pro veteri more Præsules utrinque Regis latus stipassent, eo autem absente, Archiepiscopus, etiam præsentis Regni Administratore primum locum occupasset. Postera die Episcopi hanc agendi rationem indignati, in Ecclesia S. Ægydii unacum toto Clero conventum agebant, clausisque januis, quid hac in re agendum, deliberabant. Hos inter Lincopingensis Episcopus pronuntiabat, haud sibi ignota esse Regis consilia; illum enim non aliud moliri, nisi ut Episcopos, quos jamjam honoribus suæ dignitati debitis, bonis, ac arcibus spoliasset, demum etiam ad simplicium Presbyterorum ordinem deprimeret, hacque via omnem eis auctoritatem adimeret.